

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0182

0180

0186

0176

0191

0171

0231

0131

0281

0081

0681

171

David, tribulatus a Saul, transtulit parentes suos ad regem Moab, ut dicitur 1. Reg. 22. Et ipse David fugiens Absalonem filium suum abiit trans Jordanem, ut habetur 2. Reg. 17. Beatus tamen Jeronymus de distantiis locorum dicit, civitatem Effrem, ad quam confugit Dominus Jesus, esse in tribu Juda, quae non habuit portionem trans (245 A) Jordanem. Chrysostomus dicit, Effrem esse Esfratam, et Esfrata est Bethlehem. Cui consonare videtur Albertus super Johannem, qui dicit, quod in Esfräem Dominus venit, quia ibi notos et amicos habuit: sed nec hoc videtur consonare textui, qui dicit, quod Effrem erat prope desertum, cum Bethlehem non sit prope desertum, nisi quis dicere vellet, quod loca deserta supra Sodomam, quae se extendunt usque ad montem Bethlehem, notentur per Evangelistam Joh. II. Multa alia loca contemplati sumus trans Jordanem in terra Galaath, et trans mare mortuum, in terra Ammon et Moab, et post ad propinquiora contemplanda nos convertimus.

De locis circa mare mortuum in parte ejus occidentali  
et de ipso adhuc quaedam.

Consideratis locis in alia parte maris mortui et Jordanis situatis visum nostrum in ipsum mare desfiximus, et ejus fumigationem mirati sumus. Sicut enim Abraham mane stans in montanis intuitus est Sodomam et Gomorram et universam terram regionis illius, viditque favillam ascendentem de terra, quasi fornacis fumum, ut dicitur Genes. c. 19.: sic et nos intuiti regionem illam vidimus non de igne sed de aqua ascendentem nebulam, quasi fumum fornacis, et omnem locum, quem vapor et nebula illa humectat, inficit et prorsus sterilem et inutilem reddit longe lateque per maris illius circumatum, in perpetuum divinae indignationis signum contra nefandissimos Sodomitas. Tam horrendum enim est hoc vitium, ut sicut fumus ascendens de loco, terram, quam tangit, inficit; sic sonus locutionis de eo procedens per tantum aërem inficit, per quantum audiri potest. Dicunt etiam sancti, quod angeli boni fugiunt de locis, in quibus locutio fit de illo peccato, etiam per modum reprehensionis et detestationis. Sed et angeli

Ende

Anfang

